

morphitas, *Seleucus*, & *Hermias*, apud *Arndium* in *Lexic.* p. 477.  
 in spiritualitatem divinam, tanquam in petram offen-  
 diculi, impegerunt; nefandum tamen istud commen-  
 tum sequentibus seculis quadantenus sepultum visum  
 fuit, usque dum id seculo X, circa an. Christi 939. in  
 Italia resurgeret, contra quos recentiores Anthropo-  
 morphitas calamum dextre strinxisse *Rabertum Veronensem*,  
 ex *Sigeberti Gemblac. Chronico*, allegat *B. Gerhard Exeg. Loc.*  
*II. §. 115. p. 258. b.* Imprimis verò *superiori seculo* reperti fu-  
 ère, qui monstrosam Anthropomorphitarum foetum eniti  
 denuò laborarunt. Littus hocce appellit *Conrad. Vorstius*  
*Libro de DEO & attributis divinis p. 201. 239.* Quamvis enim  
 is vestigiis veterum Ecclesiae Patrum insistens, per cor-  
 pus *substantiam solidam*, inani phantasmati oppositam, in-  
 telligere cupiat, quapropter partes *Vorstii*, tecto licet  
 nomine, sumere haud gravatur *Alstedius Theol. Natur. p.*  
*55*, & rerum tamen & verborum confusionem *Vorstius*  
 plenis introducit velis, iudice iudiciosissimo *Gerhardo l.*  
*c. conf. B. Deutschmanni Theol. posit. polem. p. 43.* Frigidam  
 Anthropomorphitis suffundit *Joh. Crellius*, *Socinianus*,  
*Lib. de DEO p. 107.* somnians, Spiritui omni competere cor-  
 pus subtilissimum, & tale quoque DEO adscribendum  
 esse. Verba ipsius allegat *D. Hebenstreit. Philos. prima p.*  
*105.* Amicè conspirat *Thomas Hobbesius Part. I. Leviathan.*  
*Cap. 12. p. 56. & in Appendic. p. 344. 360,* cujus copias feliciter  
 debellavit *Nath. Falckius in Diss. de Spiritualitate DEI contra*  
*Hobbesium, & Dn. M. Staalkopf. in Diss. de oraculo Paulino Act.*  
*XVII a detorsionibus Hobbesii & Spinosae asserto, hab. sub præ-*  
*fid. Reverendiss. Dn. D. Mayeri. §. 8—17. p. 10. sqq.* Idem  
 somnium somniat maledictus *Ben. Spinosae in Ethic. Part.*  
*II. definit. I, opp. p. 40,* quippe qui corpus DEO tribuere haud  
 erubescit. Et an mirum hoc videri potest? cum publica *Spino-*  
*sa*